

1276, juny, 19

Bernat d'Orriols, senyor d'Albons, reconeix a Guillema de Peratallada, cambrera de Sant Daniel, deure 558 sous del llegat fet per la seva àvia, Guillema de Torrent al monestir, per al pagament dels quals assigna els fruits del seu delme d'Angle <d'Albons>.

ASD núm. 234, perg. orig., 240 x 220 mm.

Notum sit omnibus quod ego Bernardus de Urriolis, dominus de Albornis, consensu Geraldi de Nuelleto, clerici de Albornis manumissoris testamenti Berengarii de Torrente condam auunculo meo, recognosco et in ueritate confiteor uobis domine Guilielme de Petracissa, camerarie monasterii Sancti Danielis de Gerunda, quod debeo uobis nomine eiusdem monasterii quingentos quinquaginta et octo solidos et .nu.or denarios barchinonenses de temo de illis uidelicet mille solidis barchinonensibus de dublencho quos domina Guilielma de Torrente condam auia mea dimisit in sua ultima uoluntate Sancto Danieli de Gerunda pro uestiario. monialium eiusdem loci, quos quidem .DLVIII. solidos et .nn. denarios dono et assigno uobis super omnibus espletis et fructibus omnium rerum integre tocius decime mee de Angula et super omnibus etiam agrariis siue taschis meis que habeo et accipio et habere et accipere debeo in toto decimali siue terminali de Angula, tam omni genere bladi et de lino et de canabo quam de omnibus aliis uniuersis et singulis, ita uidelicet quod uos uel quicumque uolueritis habeatis et adpiatis omnia supradicta tantum ac tamdiu donec de dicta pecunia uobis inde fuerit plenarie satisfactum, deductis tamen et penitus persolutis inde prius .CXL. solidis barchinonensibus de temo annuatim ecclesie de Albornis siue procuratoribus eiusdem ecclesie, prout in instrumento inde a me dicte ecclesie confecto plenius continetur. Quibus quidem .CXL. solidis eidem ecclesie siue eius procuratoribus persolutis, totum residuum ac quicquid inde superfuerit habeatis et accipiatis prout ualuerint et uendi poterunt(sic) in festo Sancti Andree annuatim, donec dicta pecunia uobis fuerit persoluta, promitens etiam uobis bona fide quod in predictis non tangam neque tangi fadam et quod fadam uobis predicta omnia habere et tenere in pace contra cunctas personas, donec uobis satisfactum fuerit de predictis plenarie ad uestram uoluntatem. Et si aliquis ibi uel inde uobis tetigerit, perturbauerit uel emparauerit uel aliquo modo contradixerit et propter hoc damnum uel missiones inde feceritis, totum promito uobis soluere et retituere ad uestram uoluntatem, et propter hoc obligo uobis et uestris omnia mea bona habita et habenda ubique, et quod hoc totum atendam et compleam et in nullo contraueniam sacrosanctis .III.or Euangeliis a me corporaliter tactis per Deum sollempniter iuro; insuper mando et clico Raimundo Petri baiulo meo de Angula quod tradat bene et fideliter uobis ac quicumque uolueritis quicquid superfuerit de omnibus supradictis, solutis prius ut predictum est eidem ecclesie de Albornis uel eius procuratoribus pecunia supradicta. Et ego Raimundus Petri promito corlgregare et facere bene et fideliter et tradere uobis omnia supradicta et iuro per Deum et eius sancta .un.or Euangelia a me corporaliter tacta predicta omnia atendere et complere.

Actum est hoc .xm. kalendas iulii anno Domini .MCCLXX. sexto

Sig+num predicti Bernardi de Urriolis, domini de Albornis, qui hoc firmo et laudo.
Sig+num predicti Raimundi Petri, qui hoc firmo et laudo. Testes huius rei sunt
Perpinianus de Paro, sacrista de Albornis et Ferrari us de Flodano, clericus de Gerunda,
et Berengarius de Urriolis et Raimundus de Begurio et Berengarius de Dalle, milites.

Sig(s. man.)num Carmassoni, notarii publid de Albornis, qui hoc scripsit.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 483-484